DECVS
Laureæ Theologicæ,

Eximiæ Virtuti, & Sapientiæ,

Illustris, & Admodùm Reuerendi Domini,

D. MICHAELIS SŁAWOGVRSKI,

Præpositi Neo-Corcinensis;

Dum in Alma Vniuersitate Cracouiensi,

A

Perillustri, Clarissimo, & Admodùm Rndo Domino,

D. M. MARTINO WINKLER,

S. Th. Doctore, & Professore, Collega Majore,
Præposito Sandomiriensi, Decano S. Floriani,
CANCELLARIO LANCICIENSI,
Contubernij Gelaniani Prouisore,

Sacro Doctoratus Theologici Honore,
Ritu solenni insigniretur,

COLLATVM;

Et A

M. MATHIA BROCKI,
In Collegio Majori Regio Professore,
Applausu Gratulatorio

CELEBRATVM.

ANNO DOMINI, 1685. Die 19 Februarij.

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Necnon Illustr: ac Rndiss. Dni. Episc. Crac. Ducis Seueriæ, Typogr.

DECVS
LAVREÆ THEOLOGICÆ.

Magno inclytum decore Nomen,
nepoti relinquere mundo ;
Multorum cura potiùs fuit, quàm euentus.
Nempè,
quos centum ſtipata meritis, propria non diſtinguit virtus ;
Sed vel Majorum claritudo, vel Magnorum affectus in promouendo Virorum,
præſtigiator color depingit ;
apud longa ſæcula fulgere contendentes, id vnicum præſtant;
Vt inter viuos ſplendores, fatui appareant ignes.
Præſtanti decore conſpicuum Nomen,
ætatis Pater, & fons claritatis Phœbus eſt ;
Sed quem aurora, omnigena virtus præcedit.
Quæ,
vt magnæ arbores, prolixiores vmbras iaciunt ;
Sic ſola, Magnorum decora, in plura ſæcula extendit.
Seu potiùs illam ſolem dixeris,
à qua, ſuum decus vniuerſa, ceu à fonte luminis, minora aſtra lucem mutuantur
Nam, quæ ſibi magnum decus eſt,
in aliorum quoq; ornamentum, ex facili concedere poteſt.
Adhucne Democrite ?
laxas perſpicuo labella riſu ?
cùm incurras pleroſque, in fumo vanitatis, & deſidiæ vmbris,
famam Nominis, & verũ ſplendorẽ captantes, hærere ibi : operoſa virtus,
Vnde mouet tonitru, vibrataq; fulmina jactat.
Et meritò ſanè,
quùm vel alieno auxilio, vel alio à virtute, is decor quæratur ;
cuius propria virtus, incus eſt ; & Magiſtra.
Quid in Regno Sapientiæ ?
vbi honos abſq; meritis, contumelia eſt.
An ſapientiæ Proceribus, priùs publica gloriæ lux affulſerit ?
quàm priuatim, ad Cleanthis lucernas, & lychnos Epicteti,
noctes Atticas accenderint ?
Pauca ſiquidem Mundi negotijs intento, ad decus parandũ ſufficiunt ;
Sapientes vix ſatis habent, cùm ardua omnia vincant ;
Quorum

Quorum illustre decus, neutiquam Seruij Tulli corona est,
cùm hæc dormientes etiam ambiat, illud vix vigilantisſimis contingat;
& quò majori comparatur sudore, eò splendidiùs fulget.
Ejusmodi eruditæ gloriæ decore, Tu quoq; coruscas,
Illustris, & Admodùm Reuerende Domine,
D. MICHAEL SŁAWOGVRSKI,
Præposite Neo-Corcinensis;
Ad quod, sueto magnis mentibus passu contendisti,
cùm fauentem Tibi claris Natalibus Lucinam, in censu minimè ponens;
à Parnasſi luco, Auito splendori Tuo lucem quæsijsti.
Hinc Musis amicum, Gentilitium Sidus tuum,
omen Tibi togati decoris, an calcar extiterit? incertùm haberetur;
Nisi alienum esse ab Ephoro calcar, exstaret:
Quem, Te fuisse, omnia cum laude exacta studia, probant.
Cùm in humanioribus, vsq; ad delicias;
In Stoa, & Peripato, ad publica ingenij certamina;
In Diuina scientia, ad victrices olim palmas profecerit;
modò ad Sacras, Theologicæ laurus, coronas.
Sed decora hæc eruditi pectoris Tui, quò nitidiùs clauerint;
eò accuratiùs nube modestiæ, tegebas, conscius:
nisi sub plantis latitaret mascula virtus,
Nomen vtiq; suum amitteret.
Esse proinde omni elegantiâ cumulatum potiùs, quàm videri,
in partem solidæ Sapientiæ cùm traheret;
ignaris virtutis suæ, in cursu altiorum Studiorum,
ad calcem tunc consistere creditus est;
cùm ad columnam deuenisset.
Sed perspicaces eruditionis Tuæ lynces,
cùm Epidaurio Serpente acutiùs, mentem tuam cernerent;
non minori Tui æstimatione, quàm boni publici prouentu;
Illustriss: Te Comitibus in Czarnkow, Gubernatorem præficiunt.
Ita merus niuei pectoris Tui candor,
lacteæ Czarnkouiorum Fasciæ, in Speculum cedit;
vt ab illo, in virtutum formetur coronam:
non mutuatis, ab Auita Principum Słopensium mitra, gemmis;
sed geminis probitatis, & Sapientiæ decoribus, radiantem.
Neq; sinistro sidere, quia Tuo, euenit;
quom inùs Orbis Nałęcius, cælum fieret; nempe sedes virtutum;
cuius motus vt regularis esset, asſistrix intelligentia prouidisti.

Verùm à tanto, & tot Principum, Heroum, & Senatorum vinculo,
ad fœderis testamenti nexum, & electorũ Stolam primã, animũ intendis;
cùm à candida Fascia, lucis fis candidatus, videlicet Mystes:
illibata innocentis animi Tui lilia, pluribus in escam ouibus daturus.
Siquidem, *Infecunda perit gratia, publicæ*
si nil fructificet rei.
Excedens proinde Aulâ, quantùm Tui desiderium relinquis!
ne à DEO desidereris.
Ast desistat modestia Tua, alienos ab Aula recessus, non aliter amare;
quàm vnio concham.
Et arcanis quippe illustratur, quem DEVS Ecclesiæ suæ destinat;
vt statuat in lucis publicæ candelabro.
In vmbra nempè, & cortina sensus de Te modesti,
quamuis Pharios ignes, non accendas ad iactantiam;
Spectatissimus vbiq; lucebis.
Nam bona ingenia, vt palã coronentur; modio suo vel inuita subtrahuntur.
Verùm, si extinguentes in se mundani splendoris fulgur,
Magis Diuinum accendunt;
vrgeat quisquis, exempla probæ vitæ priùs opere;
ad quæ alios incitaturus est ore:
malè namq; sacræ leges, absque moribus docentium discuntur.
Sed Tu, cùm sis idem ore ac opere,
Cõscende Neo-Corcinensis Ecclesiæ Cathedram,
ignito eloquio, vehemens Ecclesiastes.
Et ne solus Apollo, à suis celebretur Oraculis,
Tu Diuinior, sacra omnibus responsa prome.
vnde compunctæ animæ, vt virtutes germinent, vitia demetent;
vt veritatem confirment, errores penitùs eneruabunt.
Et profectò, æquè zelosus, vt mellifluus Orator,
Binis lustris, nunquam auidiùs audiri optaris;
quàm cùm diutiùs audiris:
vt zelo etiam, qui pro DEO habetur, & salubri veritatis amaro,
gratiam inesse constaret.
Nec domi solùm, verùm & in vicinam terram exiuit sonus tuus, & verb:
cùm Diuorum toties, magnus vbiq; encomiastes,
non exigua Nominis Tui encomia, continuò referas.
Sed his, non aliter integerrimus animus tuus commouetur;
quàm fluctibus Oceani, rupes.
Cùm propria elogia spernis, Diuino intentus honori,
Quem, vt posteris quoq; sæculis ex Cathedra promoueres,
ac populum DEI erudires perennis; Ordina-

Ordinarij Fundationem, nouis reditibus auxisti.
Sacri nempe laboris præmium, & fructũ Fortunæ, lucrum faciens virtutis;
id Vnum Te arbitraris habere, quod in Vsum Diuinum effundis.
Quàm sint gratæ istæ Superis, impensæ!
felix euentus conuincit, cùm Te noui honoris accessione coronat.
Gratiarum nimirùm omnium Vinculi, Præsuleæ Fasciæ gratiâ,
imò tanti Principis tersissimo iudicio!
quod mentibus duntaxat selectissimis, sacros dispensat fauores;
Præpositus Neo-Corcinensis renuntiaris.
Eiusmodi censurâ, non modò ad prærogatiuam,
verùm & ad gloriam satis habens;
quod in tot Candidatorum concursu:
pro Regibus Oracula fundens,
de Te quoq; aureum os Principis, honorificum fuderit responsum;
cùm Præpositum dixit.
Decuit nempe, vt quas, Verbo DEI pauit oues, Ecclesiastes,
intimiori quoq; curâ, dirigeret Pastor:
Vtq; ceu animum in pectore suo, sic & regimen Præpositurae deponeret,
Vir summæ Virtutis, & Authoritatis,
Perillustris, & Admodum Reuerendus Dominus,
Bartholomæus Iedlewski,
Decanus Lublinensis;
Vt vices olim in onere, nunc in beneficio munus Ecclesiasticum sustentans,
Diuino Atlanti, Sacer succederet Hercules.
Principum oculum, Solem esse;
non aliter, animos curis publicis idoneos, penetrantem;
Vt hic, minimas etiam Protogenis lineas, atomosq; latentes reuelat;
Vel inde constat;
quod tanto Principis Nostri iudicio, gloriosè respondeas;
cùm diligens decorem Domûs DEI, in quo Dominum adores;
Splendorem illius, ab instauratione auspicaris,
animo tam magno, quâm opus incæptum, sumptus reditibus maiores, exposcit.
Sed quo magis conscius, quod erogatæ opes,
facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum,
Vt vlterioribus succurrat expensis;
eò promptiùs omnes illuc transcripsit.
Phrygio Midâ, Lydioq; felicior Cræso,
quia indeficientis thesauri securior;
in cælo nimirum locati.
Quod, vt sibi arctiùs deuinceret,
Aurum vltrà erogare, bonum esse constituit;
ac proinde benedictione potiùs Diuinâ,
quàm Pactoli, vel Hydaspis opibus diues,
nouis iterum sumptibus,& curis non parcit;
vt ob censuum defectum, concentus Ecclesiasticus, mutus hactenùs,
fieret

fieret deinceps vocalis:
qui DEVM in hymnis, & canticis laudans,
deuotas etiam mentes, in terris, ad cælestis harmoniæ dulcedinem eleuaret.
Sed Diuinas eiusmodi cogitationes tuas,
Sacrum, quia Thelogici Doctoratus decus, excipit;
vt mentis Tuæ sublime, quo intùs emines,
Orbi vniuerso demonstret.
Solida quidem eruditio, quâ Tu coruscas,
ipsa sibi decus est, & corona.
vt auri nihilominus metallo, maior splendor ex gemmis;
ita sapienti vberior gloria, ex publico testimonio venit.
Quod Tibi eò honorificentius contingit,
quò pluribus victoriis clarus, ad illud capessendum accedis.
Quidni enim, in eruditi verticis Tui decus, laureâ Theologica concedat?
cui tot ingeniorum, tot SS. Ordinum, animi conflictus,
cùm herbam porrigerent, nectebant coronas.
Imò Tu ipse, pretium hoc non vile parabas;
cùm benè memor, rerum sublimium dehonestamenta esse,
modicos ad illas conatus;
frontem, sæpiùs sudoris gemmis perfudisti;
vt pulchriùs, Phœbeis efflorescere corymbis;
atq; tantò gloriosiùs triumphares,
quantò altioribus curis meruisti triumphum.
Cæsarum ergo, & Victorum gestamen laurus, Te decorat,
cùm Doctorem Theologum insignit;
vt inclyta virtus, & consumata Sapientia tua,
Sacro noui Gradus decore aucta;
Sit Tibi, altiorum in Ecclesia DEI honorum omen,
sit Decus, & corona.

Sub felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Reuerendi Domini,

M. FRANCISCI PRZEWOSKI,

S. Th: Doctoris, & Professoris, Collegæ Majoris,
Ecclesiæ Collegiatæ S. Annæ Decani, Scholastici Curzelouiensis,
Contubernij Hierosolymitani Prouisoris,
Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, Generalis, & Vigilantissimi

R E C T O R I S.